



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuctio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 1. De tribus generibus Christianorum

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969



PRINCIPIA
ET DOCUMENTA
VITÆ CHRISTIANÆ.

P A R S I.

De Vita Christiana, ejusque fine, & officiis.

§. I. De tribus generibus Christianorum.

UM omnem Christianorum multitudinem in Catholica Ecclesia viventium, eorumque mores & instituta veluti è specula prospicio, tria quasi eorum genera mihi videor deprehendisse. Unum est eorum, qui Christi doctrinam & exempla in spiritu veritate sectantes, se re & nomine Christianos esse perpetua & exactissima Evangelicæ perfectionis exercitatione ostendunt: Deo enim servientes, & in lege ejus die ac nocte meditantes carnem suam cum desideriis & concupiscentiis crucifigunt, nullis adversitatibus victi, nullis prosperitatibus depravati. In hoc autem genere nonnulli eminent, quorum virtutes ultra humanam conditionem assurgunt. Servant siquidem continentiam usque ad tenuissimum victum & perpetuum jejunium: puritatem custodiunt usque ad cujuscunque etiam licitæ delectationis contemptum: patientiam exercent usque ad cruces, & flammæ: se ipsos abnegant usque ad omnimodam abjectionem & odium sui: divitias spernunt usque ad patrimonia distributa pauperibus: Deum diligunt usque ad supremum gradum, qui in hac vita haberi potest: omnes denique virtutes in gradu heroïco possident, ita ut mi-

rentur cæteri, qui eos vident, & fateantur imbecillitatem suam, quia ad tantam perfectionem pervenire non possunt. Sed horum numerus ad paucissimos redigitur, & vulgo ignotos, qui sibi ac mundo mortui & crucifixi, vitam degunt absconditam cum Christo in Deo.

Alterum illos complectitur, qui orthodoxæ fidei professione contenti his rebus duntaxat, quæ foris apparent, Christiani hominis officia contineri arbitrantur; timentes quidem Deum, sed & cupiditatibus suis tanquam idolis suis servientes. Ad Sacramenta frequenter accedunt, sed tanta animi remissione & socordia, ut ex frequentia nihil proficiant: à gravioribus peccatis abstinere satagunt, leviora negligunt: exteriores religionis actus non omittunt; sed terrenis affectibus immerfi, sibi que semper & propriis commodis addicti, quid sit vita interior, quid perfectio Christiana, quid ascensus mentis in Deum, quid abnegatio rerumque omnium abdicatio, sine qua neminem posse suum esse discipulum toties Christus docuit, aut prorsus ignorant, aut discere nolunt: & si quis eis sanctioris vitæ documenta proponat, illa ad Monachos & Anachoretas ablegant, stulto & lacrymabili errore decepti.

Tertium genus illos omnes comprehendit, qui ideo Christiani dicuntur, quia à Christianis parentibus orti, & aquâ baptismatis regenerati inter Christianos commorantur: moribus autem deteriores sunt infidelibus, improbi, sceleribus pleni, abominabiles, quorum immensa multitudo est.

§ II. *Tertium genus Christianorum describitur.*

HI sunt qui ore Deum fatentur, factis negant: corpus enim suum ejusque commoda nimis amantes, & sæculi legibus pertinaciter adhærentes contra Evangelicam veritatem ita se obdurant, ut se esse Christianos penè erubescant. Fovent quotidie peccata sua, & flagitiis in consuetudinem versis etiam verecundiam perdiderunt.